

Index Disputationum

1. Gundlingii, Nic. Hier. Laelatio funebris in obitum
Marquardi, Ludovici de Pringen, C. R. Imp.
Lib. Hieronis.
2. Fabricii, Jo. Orationes duae. 1. de Templis veterum
Christianorum. 2. de memorabilibus qui-
busdam etymis MDCCLII.
3. Franquilli, Anton. Exercimina Logica Heroica
contra Christ. Wolffium, Andr. Rudigeri
et Joseph. Fried. Hofmann.
4. Hochfels, Dan. Fr. de Sono perspicuitatis & Socratico
tantoperi desiderato, atq; unico desiderando.
5. —" —" —" Theses Controversae Juris Naturalis
gentium, ex Puffendorffii Libello, de Offi-
cio Hominis et Civis.
6. Philippi, Jo. Ern. Thes. Lov. Vercos, circa Principium
Juris Naturae.
7. Neubaueri, Ern. Fr. de Jure Disputationum apud omnes
omnium Religionum populos, exceptis Muham,
in edanis.
8. Büttneri, Chr. Tho. de Syonatis Philosphicis in genere.
9. Hagens, Gott. Fr. de mensura Toni articulati.
10. —" —" —" de Pronunciatione Verborum, vici,
norumq; aliquot populorum.
11. Heinzeii, Jo. Gott. de Philosphis Antichristianis.
12. Langii, Jo. Joach. de Luthero Biblici Studii Restauratore.
13. —" —" —" de Esais.

14. Helwigii, Cam. de Articulis Fidei.
15. Weisæ, Frid. de Signis Extremi Sudorii, ubi remon-
tis, ita proximis.
16. Hoffmanni, Frid. de Doloribus & spasmo ex Calculo
felleo.
17. — " — " — " de Doloribus ex Calculo Renum.
18. — " — " — " de Specifica quorundam Semen-
torum efficacia.
19. Alberti, Mich. de Casu Obſtinationis sanguineo-
spasmodici.
20. Funckeri, Jo. de Legitima februm corruptarum
Tractatione!

* * *

A. 71.
O.



II

IOANNIS FABRICII
ORATIONES
DVAE


Quarum altera agit
DE
TEMPLIS VETERVM
CHRISTIANORVM,

Altera
De
MEMORABILIBVS QVIBVSDAM
ANNI MDCCIV.

Prior illa recitata fuit d. XXI. Ian. A. MDCCIV.

*quum ei fasces Academiae Iuliae traderentur,
altera d. XVII. Iulii, quum eosdem
deponeret.*

Editio secunda, correctior & auctior.



BRVNSVIGAE,
Typis IOH. GEORGII ZILLIGERI,
A. C. MDCCXI.

IOANNIS FABRICII
ORATIONES

DVAE

Quarum altera agit

DE

TEMPLE VETERVM
CHRISTIANORVM.

Alter

DE

MEMORABILIBVS QVIBVS DAM

ANNI MDCCLV.

Prior illa recitata fuit d. XXI. Ian. A. MDCCLV.

quum ei fasset Academiae huius tradidit.

altera d. XVII. Julii, quum eodem

deponeret

editio secunda, correctior & auctior.



BRVNIVIGAE,
Typs IOH GEORGI ZILLIGERI,
A. C. MDCCLV.



Perillustri & Excellentissimo Viro,

P. L. VON WENDHUSEN,
Hereditario in Wendhusio, Schoeninga,
& Riddagshusio,

Serenissimi DUCIS Brunsvicensium ac Luneburgensium Supre-
mo Status Ministro, & Cancellario longe meritissimo,

Patrono suo faventissimo,

IO. FABRICIVS

S. P. D.

Quamvis parvulum hoc sit scriptum & infra tuam con-
sistere videatur dignitatem, nullus tamen dubito, quin
perillustri nomini tuo illud inscriptum, debitaque, ut fa-
cio, cum reverentia oblatum, serena sis fronte acce-
pturus: ea enim est materia orationis prioris, ut non possit abs te
improbari, qui aequae in sacris, ac civilibus, oraculum serenissimi es
Domini tui, immo & nostri, quem Deus servet. Multum tibi de-
bent, ne quid de aliis dicam, coenobiorum in Ducatu wolffenbütte-
lensi restrorescentium templa, quippe quae tuis consiliis, tuove con-
sensu, meliorem nacta sunt formam; ac Regio-lothariense nostrum,
42 magna

magna capitis parte adhuc careret, nisi beati antecessoris mei instantias ratas habuisses, omnique iuvasses opera: & quicquid ei adhuc deest interni decoris, id a sapientissima benignitate tua sibi certissime pollicetur & exspectat. Neque etiam ingrata erit recitatio memorabilium quorundam, quae in altera fit oratione, quandoquidem eorum ipse sive partem sustinisti, sive sensum habuisti: & publice praedicandus fuisses, nisi modestiam tuam offendi iudicassem. Hoc autem permittes, Vir excellentissime, ut profitear, agnoscere me, quantopere obligata tibi sit fortuna mea, sed verba, quibus id exprimam, non invenire, semperque in acre tuo mansurum: atque hoc etiam ipsum praesente dedicatione testatum velle. Faxit Deus ter optimus maximus, ut perillustis Excellentia tua omni tempore vivat sana & incolumis, & inter tot curas ac labores in bonum publicum impendendos, placida & tranquilla senectute porro fruatur, nec nisi sero in caelum redeat. Ita vale, Patrone magne, meque favore ac patricinio tuo amplius beare haud gravatim perge.


Helmstadii in academia Iulia a. d. VIII.

Augusti, A. C. MDCCIV.



Spe-


ΙΧΝΟΓΡΑ



Faint, mostly illegible text in a column on the right side of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

ICHNOGRA


PHIA TEMPLORUM
Veterum



1. Thronus .
2. Sedes Throno .
3. Sacra Mensa .
4. Tribunal .
5. Diaconicum .
6. Propositio .
7. S. Portæ .
8. Borealis seu Dextra Pars .
9. Embolus .
10. Meridionalis seu Sinistra pars .
11. Embolus .
12. Cancelli .
13. Templū seu Ecclesia .
14. Fideles et Coniugates .
15. Ambo .
16. Prostrati .
17. Speciosa Portæ .
18. Audientes .
19. Narthex .
20. Baptisterium .
21. Hybernates seu Energumeni .
22. Catechumeni .
23. Magnæ Portæ .
24. Lugentes .
25. Portæ Ecclesiæ .

THE EMPLOYMENT
OF THE

INDUSTRY




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be organized in a list or table format, with several lines of text visible on the left margin.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is centered and appears to be a single line or a short paragraph.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is centered and appears to be a single line.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is centered and appears to be a single line.







Spectabiles omnium ordinum
DECANI,

Ceterique DOCTORES et PROFESSORES celeberrimi, HOSPITES pl. honorandi,

ut et natalium splendore, ac litterarum et virtutum cultu ornatisima STUDIOSORVM corona.



Regiminis acadēmici spartam hodie mihi colatam, debeo atque acceptam fero & amplissimis Patribus academicis, & serenissimis Iuliae huius Directoribus, & Deo opt. maximo, totius mundi, omniumque, quae in eo fiunt, actionum gubernatori ac moderatori sapientissimo, iustissimo, & benignissimo: *Patribus academicis*, quod secundum leges, libere & unanimiter, ad hanc functionem eligere me voluerunt; serenissimis & magnificentissimis *Directoribus*, quia electum & humillime praesentatum, clementissime approbare & confirmare nulli dubitarunt; & *Deo*, domino ac patri nostro caelesti, quoniam, ut nullum aliud, ita nec praesens negotium, sine ipsius sanctissima sapientissimaque gubernatione

tione vel fuscipi vel peragi potuit. Sicut igitur venerandis academiae Senatoribus pro favore, & bona, quam de fide mea conceperunt, opinione, celsissimisq; Directoribus pro novo principalis suae erga me gratiae documento, obstri&issimum me esse fateor, atq; illis ingentes, & hisce humillimas ago gratias, omnem operam daturus, ut bonae clementissimaeq; quam in me ponunt, fiduciae, industria & fideli muneris administratione satisficiam, aut saltem studium satisfaciendi meum comprobem atq; demonstrarem; ita, quantum supremo Numini obligatus sim, neque animo satis concipere, neque verbis exprimere aut eloqui possum. Sane ego indignus sum, Domine, multorum magnorumque illorum beneficiorum, quae ab infantia in hunc usque diem seruo tuo exhibere voluisti. Quandoquidem autem tibi placuit, immenso illorum cumulo etiam hoc praefens adiicere, ut scepra hic gererem academica, devotissime abs te peto & rogo, ut spiritu tuo aptum me reddas ad arduum munus hoc recte & laudabiliter obeundum, sicut voluntatem ac desiderium iuste gubernandi mihi iam dedisti, atque impressisti. Serva, quaeso, & prospera, atque sub gratiae tuae clypeo defende ac tuere serenissimos Principes & Dominos, Dn. RVDOLPHVM AVGVSTVM & Dn. ANTONIVM VLRICVM, Duces Brunsvicensium ac Luneburgensium, academiae huius Iuliae in praesenti Directores magnificentissimos, dominos nostros clementissimos, & largire ipsis, quicquid ad felicitatem & tranquillitatem regiminis facere, eamq; promovere potest: Serva & prospera reliquas duas sereniss. Domus, quae, cum praedicta, universitatem hanc, tanquam filiam suam, paterne ac liberalissime alunt & sustentant, atque adimple omnia earum pia vota & desideria: Serva & prospera excellentissimos trium Domuum Ministros, quotquot Musis nostris favent, favent autem omnes, & salutaria iis semper inspira consilia, consiliisque felicem ac fortunatum praesta eventum: Serva & prospera Patres hosce academicos, & doctrinam eorum cum sacram, tum aliam, in ecclesiae, rei que publicae salutem, & cum divinae tum humanae sapientiae commodum & incre-

incrementum dirige ac promove: Serva & prospera studiosam nostram Inventutem, atque eam mentem inde omnibus ac singulis, ut non tantum eruditionem & profectum in literis ac disciplinis sectentur, sed etiam probitatem ac pietatem: Serva denique ac prospera inclytam hanc Iuliam nostram, immo tuam, tanquam *puteum*, quem tuo instinctu & iussu foderunt fortes ac praestantissimi heröes; tanquam *vineam*, quam tua plantavit dextera; tanquam *arce*, in qua sub tua providentia custodiuntur ac dispensantur thesauri sapientiae & scientiae, ad hanc & futuram vitam facientis; & tanquam *paradisum*, quem quatuor salutarium maximeq; necessariorum doctrinarum flumina, quasi ad nutum tuum, irrigant & foecundant, & arce a sedibus nostris diram ac truculentam Bellonam, ita ut nunquam apud nos aliud geratur bellum, quam quod gerendum est contra ruditatem, ignorantiam, complacentiam sui, inobedientiam, pertinaciam, & omnia reliqua vitia.

His ita praemissis, dicendum mihi ad vos est, Studiosi iuvenes, amici suavissimi, *de re* quapiam, eaque *utili & proficua*; sic enim iubent leges nostrae. De quanam vero? Meministis, serenissimos Principes & dominos nostros, qui hodie regimen magnificentissimum huius suae academiae tenent, ex summo erga suavem Iuliam suam amore & affectu, ei donasse templum Augustinianorum, *Portam coeli* nuncupatum, cum omnibus suis iuribus, privilegiis & proventibus, idque brevi temporis spatio e ruinis extulisse caput quasi redivivum, & elegantissimam nunc ostentare faciem, ita ut proxime praeterita hebdomade rite & cum applausu inaugurari potuerit. Adfuitis etiam (*) inaugurationi illi, audivistis plures sermones, vidistis varia & iucunda praemiorum eruditionis, operisq; misericordiae spectacula, & ante

(*) De consecratione templorum seu ecclesiarum vide *Pontificale rom.* p. 200. Gul. *Durrandi*, seu potius *Durantis*, *Rat. div. offic.* l. 1. c. 1. & 6. *Casal.* de Christian. ritib. c. 33. p. 135. *Bellarmin.* l. 3. de Cultu sanctor. c. 5. *C. Vorst.* in *Antibellarmin.* p. 330. *Hospin.* de Templ. l. 1. c. 12. & l. Lud. *Fabricium* operum p. 411.

ante ac post consecrationem, inter colloquentes, non defuit materia dicendi de templo. Huic igitur occasione & tempori me accommodans, argumentum orationis petam a (1) *templis veterum Christianorum*, & quomodo illa (2) constructa, quibusque nominibus eorum partes vocatae fuerint, & quem inibi locum tenuerint clerici, quem fideles, quem poenitentes, aliique, qui fidelibus annumerari non poterant, breviter vobis ostendam atque indicabo: dum vos, rei dignitate, suavitate & utilitate capti, me praeuentem alacriter sequemini, animisque & linguis favebitis.

Alta (3) & superba, ampla & spatiosa, splendida & magnifica, regumque palatiis, atque basilicis palmam gloriamque dubiam facientia aedificia seu templa, in quibus sacra sua celebrarent

- (1) *Templa*, quasi tuempula, a tuendo dicta. Quae alias appellabantur *ecclesiae*, ἐκκλησιασθήσια, προσευχθήσια, oratoria, κρηναὶ, *dominicae*, *domus dominicae*, unde germanicum vocabulum *Dom* / quod ecclesiam cathedralem significat, μαρτύρια, ἱεροὶ ἐκκλησίαι, *domus precationis*, *domus Dei*, *conventicula*, *conventus ecclesiarum*, *memoriae*, *concilia sanctorum*, *basilicae*, *tituli* &c. De quibus appellationibus legi possunt *Baronius* in *Annae.* ad A. C. 57. n. 127. *Selden* de I. N. & G. p. 301. *Zonaras* annot. in can. 6. concilii gangrensis, *Bevereg.* annot. in concilii ancyrani can. 15. p. 171. *Hospin.* de *Templ.* l. 1. c. 8. *Ioach. Hildebrand* de *Precibus vet. Christ.* c. 3. *Du Fresne* in *Glossario*, & *Schurzfleisch* in *dissert. de Templor. antiquitat.* §. 1. & 5. *Historiam* de *templis* tradunt *Io. Bona* cardinalis *Rer. liturg. lib. I. c. 20.* n. 4. & *Val. Ern. Loescher* *Relat. innoc. A. 1704.* p. 833. & *A. 1706.* 278.
- (2) De *structura* & *forma templorum* disserunt, praeter alios, *auctor orat. panegy.* apud *Euseb. H. E. l. 10. c. 2.* *Gregorius naz.* tomo 1. p. 131. *Constit. apostol. l. 2. c. 57.* p. 261. & *Corelerius* ad eas commentans, *Bellarminus l. 3. de Cultu sanctorum c. 3. p. 340.* tomi 1. *Baron.* ad A. C. 57. n. 104. *Casali*, de *Ritib. vet. Christian.* p. 133. *H. Corn. Agrippa* de *Vanit. scient. c. 58.* *Hildebr.* *Enchirid. de Primitivae eccles. sacris publ. C. 3.* *Zimmermann.* ad *Fiunt*, non nasc. christiani, p. 442. & *Thom. Smith* de *Eccles. graecae* hod. *statu* p. 52. *Suave est etiam*, primi *Christianorum* in *Britannia* *templi formam*, quam exhibet *Spekermann* tomo 1. *Concil. angl. p. 11.* *contemplari.*
- (3) *Baron.* ad A. 57. n. 98.

rent, non habuerunt Christiani, (a) nisi demum aetate Constantini magni, primi Christiani Imperatoris. Ecce igitur uni ex hisce, & quidem maioribus, quod omnibus suis partibus constat, ac perfectum & absolutum est, nihilq̄ habet praeposteri aut inepti, iam proximi sumus, & spectatum admittimur. Vbi sciendum vobis est, ecclesias seu templa a Christianis antiquitus exstructa, in tres praecipuas partes divisa fuisse, quarum prima ab ingressu vocata fuit *νάρθξ*, media *ναὸς*, seu *ἐκκλησία*, proprie sic dicta, & tertia *βῆμα*, item *θυσιαστήριον*. Neque putetis, forte fortuna excogitatam fuisse istam distributionem; non: sed summa prudentia & gravissimo consilio facta est, usuque recepta. Eorum enim, qui ecclesiam ingrediebantur, & sacris intererant (b) tria erant genera: nonnulli *sacris initiati* erant, eaque in aliorum commodum, & ex officio peragebant; alii non erant consecrati, sed tamen ad *fidelium* coetum pertinebant; & rursus alii, qui vel *nondum admissi fideles* erant, vel inde ob praegnantem causam, aut crimen aliquod, *exclusi* & eiectioni. Ne igitur tres isti hominum ordines confunderentur, pia antiquitas suum cuiq̄ locum assignavit, ita ut sacerdotes bema seu tribunal & sacrarium sibi vindicarent, fideles in media templi parte, quae navis, seu stricte accepta ecclesia dicitur, colligerentur, & nondum baptizati segregatique, infimo loco, qui narthex vocatur, ad divini auditionem verbi convenirent. Quid ergo, inquietis, sibi vult, exitima haec aula tecta, & quid nominis habet? Dicitur *προπόλαιον*, item *ἀψὶς*, *πράουλιον*, *πρόθυρον τῆς ναῦς*, & simpliciter *ἀυλή*, latine *porticus ecclesiae*. Hic locus non proprie sacer est, sed communis

B

omni-

- (a) Euseb. H. E. l. 10. c. 2. 5. Idem de Vita Constantini l. 2. c. 39. 41. 46. l. 3. c. 25. 29. 34. 41. 48. 50. 51. 59. l. 4. c. 58. 59. Quanquam & prius, nempe sub Diocletiano, quum Christianorum res florent, ecclesias quasdam aedificarint. De quo legatur Euseb. l. 8. H. E. c. 1. Schurzfl. l. c. §. 6. & Belarm. l. 3. de Pontif. rom. c. 21. p. 30. ubi complures citat auctores, qui ecclesiarum christianarum magnificentiam descripserunt. Vide tamen etiam H. C. Agrippam de Van. scient. c. 58. HERMANNI, Electoris colon. Iudicium de Reformatione p. 103. & Hospin. de Templ. l. 1. c. 6.
- (b) Gail, Bevereg. in Annot. in Concilii nicaeni can. XI. n. 1.

omnibus, estque ambulacrum & vestibulum, in quod etiam *catechumeni & poenitentes* se conferre soliti fuerunt, tectusque, ut videtur, perpetuo fuit, quo in eo consistentes aut deambulantes, ab ardore solis pluviisque tuti essent & securi. Hic olim, & quandoque etiam extra hunc locum, stabant *οἱ προσκλήσεις* seu *lugentes*, hoc est, poenitentiae publicae & solennis candidati, qui viliori habitu amicti, omnes fideles, ecclesiam intrantes, suppliciter multisque cum lacrymis rogabant, ut Deum pro se precarentur, & apud ecclesiae antistites intercederent, quo ad poenitentiae debitum successive persolvendum, & ingressum in ecclesiam admitterentur. Sed & nos ingrediamur infimam templi partem, quae *νάρθηξ* dicitur, vel etiam (1) *πρόναος*. Ingressus nobis patet per *maximam* hanc *portam*, quam Graeci nomine pluralis numeri appellabant *τὰς μεγάλας πύλας*. Perinde autem est, sive intra, sive extra ecclesiam collocatam dicatis hanc porticum: nam si ecclesiam appellatis totum oratorium, *νάρθηξ* hic eius pars est, adeoque intra ecclesiam; si vero ecclesia a vobis vocatur ille templi locus, ubi verbum Dei legitur & praedicatur, tunc *νάρθηξ* extra ecclesiam esse dicendus est. In hoc nartheci varia nobis veniunt observanda. Nam hic proxime ad portam, qua ingressi sumus, stabant olim ab utroque latere (2) *catechumeni*, ulterius (3) *daemoniaci* seu *arreptitii*, & proxime ad portam speciosam, qua in ecclesiam itur, poenitentes primi gradus, qui dicebantur *ἀκροάμενοι*, *audientes*, eo quod ibi lectionem S. scripturae, & sermonem oratoris sacri audire ipsis liceret. In media autem narthecis parte, & ut videtur, ad dextram e

(1) Ionice, *προπίον*.

(2) Catechumenorum duo erant ordines, videlicet *ἀκροάμενον καὶ ἐνχαμένον*, *audientium & competentium*. Qui tamen omnes uno in loco, qui erat extrema narthecis pars, congregabantur. Vide Synod. *Bevereg.* tom. 1. p. 76. & tom. 2. b. 154. atque ipsius Annot. in can. 14. concilii nicaeni I. p. 80. Ioseph. *Viccom.* de Antiq. bapt. ritib. 235. *Casal.* de Rit. christ. 36. 100. *Albaspin.* Observat. l. 2. observ. 1. 2. & 35. l. Ben. *Carpzov.* in Isag. 945. & *Æg. Strauch.* disp. de Catechum.

(3) Qui & *χειμαζόμενοι*, *hibernantes*, & *energumeni* dicebantur.

vestibulo introeuntium, si collocaverimus *baptisterium*, haud forte errabimus. Sed satis de narthece. Promoveamus passum, & introeamus in *navem ecclesiae*. Fores hae, per quas ingredimur, dicebantur *fores* (1) *speciosae*, ob praestantiam & elegantiam, qua superbiebant. Ad hanc portam, in ecclesia, stabant secundi gradus poenitentes, *ὑποπίπτοντες* seu *substrati* dicti, quoniam prius, quam dimitterentur, procidebant coram episcopo, qui & ipse cum populo procumbens, orationem pro peccatoribus poenitentiam agentibus ad Deum fundebat, surgensque manus iis imponebat. Hunc poenitentiae gradum, in quo consistebant substrati, S. Cyprianus vocavit *exomologesin*. In medio ecclesiae, inter speciosas & sanctas fores, ex opposito altaris, erat olim *ambo* vel *suggestus*, e quo verbum Dei praedicatur. Et duplex erat ascensus in ambonem, alter speciosis, alter sanctis portis, & bematu seu sacrario obversus. Duo ista loca, ad dextram & sinistram ecclesiae, columnis innitentia, & unde in ecclesiam, nec non in sacrarium, & narthecem iri potest, vocantur *ἔμβολοι*, & sunt quasi *alae* seu *brachia* templi. Sicut autem *οἱ ὑποπίπτοντες* vel *substrati* stabant post ambonem, seu inter ambonem & portas speciosas, ita *συνεστῶτες* vel *συνιστάμενοι*, (2) *consistentes*, qui tertium poenitentium gradum faciunt, cum fidelibus locum suum habebant ante ambonem & portas sanctas; atque ideo dicebantur *consistentes*, quod ipsis permittebatur stare cum fidelibus, & manere ad celebrationem sacrae coenae: neque tamen, quam diu in hoc statu erant, ipsis ea frui licebat. Ex iis igitur, quae dicta & ostensa vobis haecenus sunt, satis nō fallor constat, tres olim, aut, si vultis annumerare illum etiam actum, quo delinquentes cum lacrymarum profluvio petebant ac flagitabant poenitentiae

B 2

disci-

(1) Alio nomine vocabantur *βασιλικαὶ θύραι*, vel *πύλαι*, & in singulari numero *βασιλικὴ πύλη*.

(2) Qui quidem cum fidelibus consistebant, nec cum catechumenis dimittebantur; sacramento autem altaris indigni censebantur.

disciplinam, quatuor fuisse ^(a) gradus poenitentiae publicae, videlicet *πρόκλασιν* *adplorationem*, quae fiebat in & extra vestibulum; *ἄκρόασι* *auditionem*, quae concedebatur in nartheco, ad fores speciosas; *ὑπόπλωσι*, *substrationem*, quae peragebatur in primo ecclesiae ingressu, post ambonem; & *σύστασι*, *consistentiam*, quae ultra medium ecclesiae, & ante ambonem indulgebatur. Qui omnes hodie gradus rite, & post decursum aliquot annorum (nam pro ratione delicti, maius quidem vel minus temporis spatium poenitentiae imponebatur; interim saepe fiebat, ut, postquam triennium ambitu poenitentiae consumserant, tres itidem annos inter audientes transigere iuberentur, septem inter substratos, & duos inter consistentes: tam severa & rigida, sed & utilis ac salutaris erat tunc veteris haec ecclesiae disciplina) conscenderat atque absolverat, is demum recipiebatur inter fideles, & ius nunciabatur transeundi ad μέθεξι^ν seu *participationem* sanctissimi & tremendi sacramenti altaris. Hoc unum adhuc notandum vobis est, quod in veterum Christianorum templis ^(b) *foeminae non fuerint viris mixtae*, sicut nec apud Iudaeos, sed peculiarem &

sepa-

(a) I. *Forbes*. Instruct. histor. theol. l. 12. c. 6. *Albaspin*. Observat. l. 2. observ. 22. *Gessel*. Hist. S. part. 1. 244. *Bevereg*. in can. XI. concil. nic. l. p. 71. *Hildebrand*. Theol. dogm. c. 15. §. 27. F. V. *Calixt.* de Haeret. 276. *Ios Arnd.* de Freq. commun. 132. *Pet. De Marca* du Sacrement de penitence 61. & *parentis* mei Systema theol. 647. De Canonibus autem poenitentialibus legatur *Mart. Chemnitius* E. C. T. p. 726. *προκλασιν* alii vocant *προκλασιν praefectum*.

(b) De hoc more testantur *Philo* de Vita contemplat. p. 894. *Iesephus* l. 6. de Bello iud. c. 6. p. 916. *Mid.* c. 2. sect. 5. & *L'Emperour* in not. ad h. l. P. 5. *Mischnae* *Surenhus.* p. 343. *R. Iuda Leo* l. 2. de Templo c. 6. §. 34. 36. p. 54. 56. *Lundius* *Jüd.* *Heiligth.* c. 24. p. 351. *Constit.* apostol. l. 2. c. 57. cum annotat. *Cotelerii*, *Chrysost.* hom. 74. in *Matthaeum*, *Gregor. naz.* in carm. de *Anastasiae* templo, tom. 2. p. 78. *Ambrosius*, sive *Nicaeas*, aut quicumque alius, ad virg. lapsam c. 6. *Augustinus* de C. D. l. 2. c. 28. *Cyrril.* *hierosolymit.* praefat. in *Catech. Ordo roman.* in operibus *Cassandri* p. 103. 118. & 125. in quo ultimo loco refert, masculos ad meridiem tenuisse locum, foeminas vero ad aquilonem, *Thom. Smith* de Eccles. graec. hod. statu p. 55 & *Ruarus* part. 2. *Epistol.* p. 33. *Vttaceamid*, quod in ecclesia *freudenstadiana*, & *xenodochio amstelodamensi* observavi, atque indicavi in *Amoenit. theol.* p. 761.

separatum locum habuerit delicatior ille & facile alliciens sexus: sicut & hodie observatur inter Graecos, ubi in extrema ecclesiae parte, qua apud nos organa poni solent, mulieres cum virginibus confident, earumque conspectus tabulatis seu clathris ligneis prohibetur atque eluditur. Agite autem, Amici & Comites suavissimi, accedamus propius ad locum sacerrimum, quem certis ab ecclesia cancellis videtis separatum. Ecce hic ad dextrum sanctorum portarum latus, extra cancellos, erat (a) *solium*, in quo sedebat Imperator, nempe postquam Ambrosius, Mediolanensium episcopus, hunc ei locum assignavit; antea enim intra altaris consepta sedem suam habuit. Ad imitationem huius solii, aliud ex adverso, ad illam cancellorum partem, quae ad sinistrum sanctorum portarum latus est, pro lectoribus & subdiaconis erectum fuit. A *porta sancta* removendum nobis est velum, ut intrare possimus. Locus hic, in quem devenimus, *sacrarium* dicebatur vel *tribunal*, aut a potiori parte *altare*. Mensa, quam in eius medio hic conspiciatis, & cui crux est superimposita, est *sacra mensa* seu (b) *altare*; quod veteres fere ex lapide soliti sunt conflare, quoniam Christum dominum nostrum refert, qui *petra* dicitur, idque sustentavit una, vel plures, & plerumque IV. columnae. *Sedilia*, quae pone sacram mensam in istis extremis partibus vel in sinu tribunalis sunt collocata, inserviebant mystis ac sacerdotibus, qui episcopo seu pontifici ut ministrabant, ita & post & sub eo sedebant; eminentior autem, & in medio sedilium posita sedes splendida, vocabatur (c) *thronus*, eique pontifex seu summus antistes insidebat. Atque haec sedes pro prima & dignissima,

B 3

(a) Solium hoc a Graecis vocatur *σολεία*, *σολία*, *σολείον*, nec non *σολέα*, *σολία*, *σολείον*. Bevereg. l. c. n. 9. Theodoret. H. E. l. 4. c. 18. Smith de Eccl. graec. hod. statu p. 60.

(b) *Hospinianus*, citante *Gundlingio* in Annot. ad Concil. laodicani can. 44. p. 360. ex *Inello*, episcopo sarisburiensi, notat, *altaria apud veteres* non semper & ubique in extrema templorum parte, quam vulgo hodie *chorum* vocamus, sed in medio ecclesiae posita fuisse, l. 2. de Templis c. 6. p. 88. Sed rationes ab utroque allatae, probe sunt considerandae, an satis firmatae sint & validae.

(c) Bevereg. in can. 58. apost. p. 31. & *Du Fresne* in Glossario, voc. *Thronus*.

fima totius ecclesiae habebatur, & hic fiebat inthronifatio electi & consecrati pontificis. Scire autem cupitis, quem in usum facta sint duo ista sibimet invicem opposita conclavia, ad quae ex sacrario, & inde in embolos quis se conferre potest: Illud ad sinistram throni, seu episcopi in throno sedentis, sive ad australem bematis partem, est *προθεσις*, latine *oblationarium*, ubi sacra praeparabantur, ubi sacerdotes & diaconi ante eucharistiae consecrationem manus suas lavabant, ubi diaconus sanctum discum deponebat, priusquam populo distribuebatur, ubi denique sacerdos aut diaconus, quod post communionem reliquum erat in calice, ebibat: hoc vero ad dextram throni episcopalis, seu ad latus boreale bematis, *diaconicum* audit, seu *vestiarium*, locus diaconis assignatus, ut muneribus ibi suis fungerentur, & vestimenta ac vasa sacra, quibus in mysteriis celebrandis opus erat, aut fuerat, sive promerent, sive reponerent atq; asservarent. Quid cunctamur autem, quo minus per vestiarium nos recipiamus in *ἐμβολον* seu *alam* templi *dextram*, versus borealem (quemadmodum altera, huic opposita, austrum respicit) plagam sitam, & ex ea ala rursus in templum seu ecclesiam, ubi fideles suam habebant stationem? Ecce, filii dilectissimi, sic omnes templi apud veteres Christianos usitati partes, & omnia eius loca vobis ostendi, atque explicui, sicut vir senex apud Ceбетem insignem illam aedis Saturni tabulam seu picturam, qua vitae humanae prudenter instituendae ratio continebatur, olim ostendit atque explicuit. Neque est, quod putetis, nullibi hodie existare eiusmodi templa: reperiuntur enim eorum multa non tantum inter Graecos, verum etiam in Italia, Gallia, Anglia, atque, ut alias provincias silentio praeteream, in ipsa etiam Germania nostra. Immo quid impedit, quo minus tale vobis concipiatis atque imaginemini templum in aede hac academica? Vbi enim nunc stat domus contigua, in qua exercetur ars pharmaceutica, ibi fuisset *vestibulum* & *narthex*: ubi nunc est pergula musicorum, ibi cancellis seu fenestris ligneis tectae & absconditae sedissent *foeminae*: *ala sinistra* adhuc superest, eamque tenerior iam occu-

occupat sexus : ubi autem nunc est ambo , ibi fuisset *dextra ala* : ubi nunc est altare , ibi fuisset *suggestus* : ubi nunc est sacristia , ibi fuisset *vestiarium* , & e regione , qui locus iam foeminis cessit , *oblationarium* : sub sedibus professorum fuisset *altare* , & prope portas maiores , quas ob exquisitam fabricam & elegantissimam faciem iure meritoque possumus appellare *speciosas* , ab utroque latere collocata fuissent *sedilia* pro clero , & in medio eorum sedes eminentior , *thronus* appellata.

Sed omnis haec templorum consideratio , quamvis in se sua- vis sit , & ad scriptores ecclesiasticos recte intelligendos utilis , nullius est momenti , nullius usus & fructus , nisi illam transferamus ad nostri instructionem atque aedificationem . Non placent Deo templa , (a) nisi ipsum in iis devote contemplemur & colamus . Nec vult ille habitare in aedificiis lapideis & ligneis , sed (b) *in cordibus nostris* . Qui templis carent , ipsi sint templum Dei ; quique templa habent , videant , ne in se evertant templum Spiritus sancti . eiusque loco profanum vitiorum sanum extruant , & hosti diabolo sedem praebeant , cum Deum possent ac deberent habere habitatorem . Eum in finem a serenissimis Principibus ac dominis nostris praescriptae sunt leges academicae , atque iniunctum cuilibet prorectori , ut sub initium muneris sui eas publice in loco curet praelegi . Itaque , ne huic parti officii deesse videar , recitationem earum commendo & impono optimo commilitoni vestro , & industrio virtutis aequae ac eruditionis cultori , Io. Friderico Bodenio , einbeccensi , nullus dubitans , quin sanctis verbis pie ac reverenter sitis auscultaturi .

Post

- (a) *Ναός γὰρ ἀγίος τῷ κυρίῳ ἵδ καλοῦνται οἱ οἰκοδομηθέντες ἡμῶν τῆς καρδίας* , *Templum enim sanctum Domino est , habitatio cordis nostri* . S. Barnabas in epist. p. 19. edit. clericanae .
- (b) Vide iterum S. Barnabam p. 49. Gregor. naz. orat. 41. p. 671. tom. I. operum , & Augustin. tom. I. p. 122. t. 2. 57. t. 81. t. 6. 145. t. 7. 164. t. 8. 145. t. 9. 21. t. 10. 16.

Post praelectionem.

AVdivistis, optimi & dilectissimi Studiosi, leges academicas, quae nihil difficile, nihil impossibile exigunt & postulant, sed ea, quae sunt honesta, sancta, facilia, & rationi plane conformia. Eas qui destinata opera transgreditur, delinquit non tantum adversus magistratum academicum, sed etiam contra serenissimos academiae huius Iuliae Nutritores; neque tantum adversus hosce, verum etiam contra optimum maximumque Deum, quippe qui vult, magistratibus terrenis, tanquam suis vicariis, obedientia ut exacte praesteretur; immo etiam talis homo, aut potius monstrum hominis, delinquit contra se ipsum, & sanam rationem; quid enim est *studiosum* esse ac dici, quam studium & operam locare in excolendis non minus virtutibus, quam literis ac scientiis? quis autem dixerit, eum esse virtutum studiosum, qui humanas aequae ac divinas leges contemnit & vilipendit, easque praeefracte violat? Meliorem de vobis omnibus ac singulis spem ego concepi. Deumque supplex veneror, ut spiritu suo vos regat & ducat, immo ut spiritu eius vos regi ducique sinatis, quo appareat, vos non esse foeda & abominabilia vitiorum delubra, sed viva & augusta Spiritus S. & virtutum ab eo promanantium templa & palatia, per *Portam coeli* in coelum supremum & templum templorum aliquando transferenda.

DIXI.



ORA.

ORATIO

*in resignatione magistratus academici**A. 1704. habita.*

Uum magistratus academicus ante hoc semestre mihi traderetur. magna academiae Iuliae tristitia & moeror imminebat eo, quod serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. RVDOLPHVS AVGVSTVS, dominus noster clementissimus, & acad. Iuliae Condirector magnificentissimus, videretur ex hoc mundo parare discessum, qui etiam ^(a) mox secutus est. Amisimus autem cum RVDOLPHO AVGVSTO Principem optimum, patriae patrem pientissimum, academiae Iuliae nutricium faventissimum, & benefactorem eiusdem incomparabilem. Hinc merito luctus omnes occupavit, & si non corpora, tamen corda nostra faccis induta, in cinere confederunt, laetarumque cantionum loco, in lacrymas & suspiria soluta sunt, fuimusque sicut liberi, qui benignissimo parente orbat, nullum consolationi, aut certe aegerrime, dant locum. Mox etiam, ut non solet malum aliquid venire absque alio, auctus fuit dolor noster ex ^(b) inopinato obitu serenissimae Principis ac Dominae, Dominae ELISABETHAE IVLIANAE, Ducis Brunsvic. & Luneburgensium, natae Ducis Slesvico-Holsatiae, Stormariae & Ditmarsiae, dominae nostrae clementissimae. Marona haec fuit purissimum speculum & sanctissimum templum omnium virtutum, quae Principem foeminam, patriaeque matrem condecorare possunt ac debent. Quis ergo eius abitum non lugeret acerbissime? Sed & eadem fuit suavissima ac dilectissima coniux serenissimi Principis ac Domini, Domini ANTONII VLRICI, Ducis Brunsvicenf. & Luneburgensium, domini nostri clementissimi, & acad. Iuliae hodie Directoris magnificentissimi. Quis ergo non lugeret abundantius? Sed bonum factum, quod inter Scyllam &

C

^(a) D. 26. Ian. ^(b) Qui contigit d. 4. Februarii.

Cha-

Charybdim tam ingentis & duplicati luctus servatus nobis fit, atque etiam nunc vivat serenissimus & magnificentissimus hic Director noster, Princeps in tantum laudandus, in quantum optimae maximaeque vitutes aestimari possunt; Princeps, in quo sedem habet pietas, omnium aliarum virtutum mater & complementum; Princeps, in quo certat precandi studium cum cura ecclesiarum & scholarum omniumque subditorum, mansuetudo cum justae irae exercitio, vigilantia cum honesti otii cultu, fortitudo & patientia cum cauta malorum evitacione, liberalitas & beneficentia cum iusta & prudenti parsimonia, moderatio cum magnificentia, modestia cum magnanimitate, & humanitas cum gravitate; Princeps Traiano melior, & Augusto felicior, atque utinam etiam semper Augusto felicior! Quantum igitur doluit academia Iulia de obitu pii RVDOLPHI AVGVSTI, tantum laetata est, hodieque laetatur de regimine & directorio, quod sollicitus ANTONIO VLRICO, Principi aequae pio, aequae magno, aequae laudabili. Sub huius felici gubernacione servata & protecta hactenus est academia Iulia, inque ea omnium facultatum studia promota, auctus studiosorum numerus, pax & tranquillitas retenta, nullus patrum academicorum aut discipulorum morte abreptus, & annonae caritas, cum lue epidemica & bellicis furoribus, a finibus nostris longissime remota. Cui autem haec & alia bona potius debemus, quam tibi, Domine DEVS noster, a quo omne bonum ad nos descendit? Tibi igitur a nobis debentur gratiae. Utinam modo pares essemus iis agendis, immo concipiendis! Sed maior est tua benignitas, quam ut a nobis comprehendi, nedum verbis explicari queat. Haeret lingua palato, & mens stupet ad nimiam beneficentiae tuae copiam; dumque non possumus debitam nostram gratiarum actionem verbis exponere, rogamus te humillime, ut voluntatem nostram respicias, & gratiae tuae radii quotidie nos illustres & reficias. Serva, quaeso, augustissimum Imperatorem LEOPOLDVM, qui Iuliae huic aequae, ut aliis acade-
miis

miis, pro suo in literas amore, eiusque ampliffimis a D. MAXIMILIANO II. acceptis privilegiis impensiffime favet, & post victorias nuperae (*) fimiles (quam heroica & fortiffima morte illustriorem reddidit sereniffimus Princeps, Dn. AVGVSTVS FERDINANDVS, Guelphicae militiae Dux strenuiffimus, atque immortalem gloriam adeptus) pacem ei, totique imperio redde honestam, securam, & perpetuam. Serva sereniffimas Domos Brunvicenses ac Luneburgenses, inque iis praecipue celsiffimum & magnificentiffimum Directorem nostrum, Dn. ANTONIVM VLRICVM, & ei concede vitam longaeavam, sanitatem firmam, felix regimen, consiliarios fideles, populum obedientem, exercitum fortem, & quaecunque alia optimi Principis possunt esse vota ac desideria. Serva inclytam hanc universitatem Iuliam, inque ea docentes, & discentes, & benedic illorum laboribus ac studiis, ut doctrinae puritas, scientiarum & liberalium artium praestantia, & morum integritas, porro in ea floreat, ac feliciter propagentur. Nunc autem ad id convertenda est oratio, cuius gratia paegyris haec instituta est. Nempe enim magistratus, qui a patribus academicis ante hoc semestre mihi traditus fuit, & in quo consiliis, fide & industria sua me iuvarunt, (quo nomine maximas & singulares ipsis me debere gratias, publice profiteor, & habeo longe maiores) iam nunc mihi est deponendus. Successor autem unanimibus patrum academicorum suffragiis mihi datus, atque a serenissimo Principe ac Domino, Dn. ANTONIO VLRICO, Duce Brunsvicensium & Luneburgensium, domino nostro clementissimo, & academiae Iuliae hodie Directore magnificentissimo, confirmatus est vir nobiliffimus, ampliffimus, & consultiffimus, *Georg. Engelbrecht*, I. C. celeberrimus, Codicis professor, & facultatis suae ac totius ordinis professorii senior venerabilis, sereniffimique Ducis Brunsvic. & Luneb. Consiliarius graviffimus, fautor & collega meus honoratiffimus. Age igitur, vir laudatiffime, accede in hanc cathedram,

C 2

(*) Ad Donaverdam, d. 2. Iulii contra Bavaros & Gallos obtentas.

dram, ut ritu solenni ea accipias, quae ad magnificum spectant prorectorem. Et primo quidem amiciendi sunt humeri tui *epomide* purpurea, auroque praefulgida. Vestimentum hoc principale & regium indicat, te vices sustinere magni Principis, qui academiae huius rector est magnificentissimus, immo ipsius augusti Imperatoris, cuius maiores foundationem D. IVLII ratam habuere, & inter alia insignia etiam hoc clementissime concesserunt. Aurum vero admonet, officium prorectoris fideliter & candide obeundum, & inter adversa atque fastidia constantiam & fortitudinem animi servandam esse. Deinde tibi trado *septrum* argenteum, quae ministri in solennibus processionibus tibi praeferent. Haec sane splendida sunt collati tibi regiminis indicia, & alterum eorum faciet ad protegendos bonos & morigeros, alterum ad terrendum puniendumque malos & inobedientes: suavius tamen sine omni dubio tibi erit, illo, quam hoc uti, cum propensior sis ad benignitatem, quam ad rigorem, & inflictionem poenarum. Porro accipe, si lubet, *librum legum, & statutorum*, qui tibi norma erit pro conservatione disciplinae, ac iurium & privilegiorum totius universitatis & singularum facultatum, nec non officiorum, quae & docentibus observanda sunt, & discentibus: item *matriculam studiosorum*, ut ei nomina illorum, qui studiorum gratia huc veniunt, inseri atque inscribi possint. Ceteros autem libros & res ad academiam pertinentes, hodie ad te deferri curabo. Praeterea tibi exhibeo bina *sigilla*, alterum minus, quo res minoris momenti, alterum maius, quo diplomata, testimonia, programmata, literas ad Principes aut alios publico nomine scriptas, & si quae alia sunt maioris momenti, obsignabis. Denique etiam reddo *claves* cum carceris, tum aliorum conclavium, optans, ut carceris clavibus non saepius utaris, quam ego, qui earum usum, de quo mihi valde gratulor, habui plane nullum. Nihil iam superest, quam ut de acceptis & expensis, quod quidem proxime fiet, rationes reddam, tibi que, magnifice Prorector, de nova dignitate primus gratuler. Gaudeo
fane

sane cum meo, tum academiae huius nomine, tam inclytum virum muneri prorectorali admotum esse, virum aetate venerandum, meritis insignem, iudicii vi pollentem, prudentia conspicuum, usu & experientia edoctum, eximium iuris sacerdotem & primum antecessorem, atque adeo plane aptum ad sceptrorum academicorum administrationem, rogoque Deum optimum maximum per servatorem nostrum Iesum Christum, ut sanum & salvum te praestet, vir magnifice, quo arduum hoc munus, quod quinta tibi vice iam imponitur, absq̃ ullo impedimento possis obire, & totius universitatis commodum & decus ex animi tui sententia promovere, academiamque pacatam & tranquillam, sicuti iam accipis, successori tuo aliquando tradere, ac de re bene gesta & aliorum gratulationes audire, & tibi ipse gratulari.

Vt reliquum spatium impleri possit, lubet quaedam addere antecedentibus.

Ad pag. 12.

Auctor orat. panegy. ad Paulinum, apud Eusebium H. E. l. 10. c. 4.) Cuius haec sunt verba, ex interpretatione Henr. Valesii, de templo urbis Tyri: *Multo ampliore locum meratus (Paulinus, Tyriorum episcopus,) exteriorem quidem ambitum muro undique circumvolvit, qui totius operis turrisimum esset propugnaculum. Magnum deinde atque excelsum vestibulum ad ipsos solis orientis radios extendit, iis, qui a sacro loci ambitu longius remoti sunt, conspectum quandam eorum, quae intus reconduntur, abunde exhibens, & oculos eorum, qui a fide nostra alieni sunt, ad conspicienda limina quodammodo invirans, ne quisquam forte praetercurrat, qui non compungatur animo, tum ex memoria praeteritae solitudinis, tum ex suspensio praesentis operis miraculo. Hoc enim modo compunctos attrahit, & ad ingrediendum allici posse aspectu ipso, speravit. Ceterum ubi portas ingressus sis, non statim imperis & illortis pedibus in sacrarium introire permisit, sed inter templum ac vestibulum maximo intervallo relicto, hoc spatium in quadrati speciem*

circumseptum, quatuor obliquis porticibus circumquaque exornavit, quae columnis undique attolluntur: intercolumnia porro ipsa septis et ligno reticularis, in medio-crem & congruam altitudinem elatis, circumclusis, medium autem spatium & patens reliquit, ut & coeli aspectum praeberet, & aërem splendidum solisque radiis collustratum praestaret. Hic sacrarum expiationum signa posuit, fontes scilicet ex adverso ecclesiae structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent. Atque hoc primum intrantium diversorium est, cunctis quidem ornatum ac nitorem concilians, iis vero, qui institutione adhuc opus habent, congruentem praebens mansionem. Iam vero hoc spectaculum praetervectus, pluribus aliis interioribus vestibulis aditus ad templum parentes effecit, rursus ad ipsos solis orientis radios tribus ordine ianuis in uno eodemque lacere constructis: quarum mediam duabus aliis utrinque positis & altitudine & latitudine plurimum praestare voluit, eandemque aereis tabulis ferro vinctis & sculpturis variis praecipue decoravit, ei, tanquam reginae, satellites alias adiungens. Ad eundem modum cum, porticibus ad utrumque templi latus fabricatis, parem vestibulorum numerum disposuisset, diversos aditus, quibus copiosum lumen superne in aedem infunderetur, supra ipsas porticus excogitavit, easque fenestras variis e ligno sculpturis minutissimi operis ornavit. --- Porro cum templum in hunc modum absolvisset, thronisque altissimis in honorem praesidentium, ac praeterea subsellis (καθ' ἑκά) per unum versus templum ordine dispositis exornasset, postremo sanctum sanctorum, altare videlicet, in medio constituit. Utque haec sacraria multitudini inaccessa essent, ea rursus li neis cancellis munit, minutissimo opere ad summum artis fastigium elaboratis, adeo ut admirabile intuentibus spectaculum exhibeant. Quin etiam ne ipsum quidem solum negligendum putavit: quod cum mirum in modum marmore exornasset, inde ad ea, quae extra templum posita sunt, conversus, exhedras & oecos amplissimas utrinque summa cum peritia fabricavit, qui sibi invicem ad latera ipsius basilicae coniunguntur, portisque, quibus in medium templum intratur, connexi sunt: quas quidem aedes in gratiam eorum, qui expiatione & purgatione per aquam & spiritum sanctum opus habent, Salomon noster vere pacificus, templi huius conditor, exstruxit.

Ad pag. 21.


EX Iuella] Qui in volumine adversus Thomam Hardingum art. 3. pag. 13. sic scribit: Iam vero num haec eadem altaria in loco tam longinquo constructa fuisse, quemadmodum Hardingus audenter asserit, verisimile videatur, ex hisce, quae sequuntur, testimonio existimandum relinquo. Eusebius l. 10. c. 4. templi formam apparatusque, qualis suo tempore extitit, ostendit his verbis: Absoluto templo, ac sedibus excellentissimis, ad honorem praesidentium, & sub-

subfelliis ordine collocatis, ornato, & post omnia (καθ' ὅλα) sancto sanctorum, videlicet altari, in medio constituto &c. *Altare non in extremo choro, sed in medio templi populique positum fuisse, scribit Eusebius. Augustinus de Verbis Dom. secundum Ioann. serm. (non 42, sed) 46. etiam ad hunc modum scribit: Christus quotidie pascit: Mensa ipsius, est illa in medio constituta. Quid causae est, o audientes, ut mensam videatis, & ad epulas non accedatis? In constantinopolitano concilio V. act. 1. sic habetur: Tempore diptychorum cucurrit omnis multitudo cum silentio circumcirca altare, & audiebant. Denique, ut reliquos mittam, Durandus (non 5. sed) 4. lib. Rat. div. offic. c. 14. quid causae sit, quamobrem sacerdos ad altare adfrans, se ipse convertat, inquit, hanc illius rei rationem adhibet: In medio ecclesiae aperui os meum. Bonifacium etiam, episcopum romanum, (eius nominis secundum) a populo sacerdotem in sacra liturgia primum distinxisse, Platina tradit. (p. 73.) Sed ut testimoniorum longiore commemoratione superse- deam, ex paucis hisce intelligimus, chorum eo tempore in medio templi fuisse cancellis quibusdam separam & conclusum, atque a reliquis partibus distinctum, unde etiam cancelli dictus est, & a Graecis usitate πρεσβυτέρειον, quia locus erat presbyteris atque ministris proprie designatus, ceterisque omnibus, ne sacra intercumberentur, praecclusus. Quemadmodum e regio ex Ambrosii historia (Theodoret. l. 5. c. 18.) apparet, qui ipsum imperatorem THEODOSIVM excedere iussit, & ex Nazianzeno in vita Basilii, & ex decreto quodam, (de Consecr. dist. 2. Sacerdotum) quod tribuitur Clementi, & ex Concilio laodicensi can. 19. fruitque locus iste, id quod ex Chrysostomo colligi queat, quadam in parte sacrorum, velo quodam & cadurco obtentus. Immo etiam hodie in magnis ecclesiis Mediolani, Neapoli, Lugduni, Moguntii, Romae, & in ecclesia B. Laurentii apud Florentinos, sacerdos rem divinam faciens ad occidentem spectat, itaque populum prae oculis semper habet. Vnde Durandus inquit, sacerdoti, in huiusmodi locis, non opus esse sese convertere, cum dicit, Dominus vobiscum, & populum salutat,*



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







IOANNIS FABRICII
ORATIONES
DVAE

Quarum altera agit

DE

TEMPLIS VETERVM
CHRISTIANORVM,

Altera

De

MEMORABILIBVS QVIBVSDAM
ANNI MDCCIV.

Prior illa recitata fuit d. XXI. Ian. A. MDCCIV

*quum ei fasces Academiae Iuliae traderentur,
altera d. XVII. Iulii, quum eosdem
deponeret.*

Editio secunda, correctior & auctior.



BRVNSVIGAE,
Typis IOH. GEORGII ZILLIGERI,
A. C. MDCCXI.

